DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
FEBRIS CAVSSA PROXIMA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.

CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS

A. D. XXI. IVNII CIↃIↃCCLXXXXVII.
ERVDITORVM EXAMINI PROPOSVIT.

AVCTOR
ERNESTVS GVSTAVVS LVDOVICVS
DITERICHS
GVELPHERBYTANVS.

IENAE
TYPIS FIEDLERI.

VIRIS

ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS
GENEROSISSIMIS LONGEQVE
CELEBERRIMIS

PRAESIDI

ET

ASSESSORIBVS

SPLENDIDISSIMI COLLEGII SANITATIS
BRVNSVICENSIS PER TOTVM DVCATVM
RES MEDICAS DIRIGENTIS

VIRIS

OMNI ANIMI REVERENTIA COLENDIS
HVNCCE LIBELLVM ACADEMICVM PIA
DEVOTAVE MENTE

D. D. D.

ERNESTVS LVDOVICVS GVSTAVVS
DITERICHS.

Praefatio.

Honores in medicina ſummos mihi capeſſuro conſcribendi libelli incumbit officium: Iubetur hoc peruetuſto maiorum inſtituto. Sed diu, vt ſolet fieri in re ardua et inſueta, haeſit aqua in eligenda materia, quam commode tractarem, nec viribus meis ſuperiorem. Tempore tandem vrgente, *de cauſſa febris proxima* agere conſilium cepi, impulſus cum maxime Robertsonii libello, cui titulus eſt: *Eſſay on fevers* London 1790. verſio germanica Lignit. et Lipſ. 1796.

Auctor paullo propenſior eſt in Brvnonis partes, ideoque acceptior Germanis nouaturientibus. Avertat Deus, ne contagium iſtud Brunoni anum latius ſerpat, omnia longo vſu obſervata contaminans, et audenter proculcans, oculos obcaecans, aegrotisque vino ebriis ſempiternum ſomnum et requiem ſub ſpecie artis miniſtrans! Incitantur methodice vires, et breviſſime rediguntur ad incitas, aut nimia et audaciſſima incitatione deprimuntur, depreſſae tolluntur.

Probabilis medicina eſt, quae continetur duabus vocibus, acceptiſſima tironi

 me-

medico, cum eum ingrato liberet negotio, comparandi ſibi certam experientiam vel legendis medicorum operibus numeroſis et difficilibus intellectu, vel praxi propria, ſed perdifficili et operoſa.

Equidem praeuideo fieri non poſſe, vt vnicum ex multis Brownitide (ſit venia verbo) laborantibus ad doctrinam eclecticam, eamque veraci homine dignam perducerem, tamen eum finem, quem mihi propoſui, me recte aſſecuturum ſpero, ſi de tempore adſuefierem, vt nullam contempler rem ex vna tantum parte, et meditando confirmer in praeceptis mihi traditis.

Ex colloquiis frequentibus cum quodam mihi amiciſſimo de vi vitali theſibusque ad hanc ſpectantibus quaedam axiomata hauſi, hoc libello tradita et paullisper ſtabilita; Quae ſi quis vberius et copioſius legere ſtudeat, locus dabitur in eius libello mox edendo, *Grundlage zu einer künftigen Zoonomie.* De reliquo me meamque opellam beneuolo lectori commendatiſſimam eſſe cupio.

De

De cauſſa febris proxima.

Satis nota eſt Brvnonis doctrina, qua duo tantum ſtatuuntur morbi, ſthenici et aſthenici, et vterque in gradus ſuos diſtribuitur. Robertson vnus eſt ex aſſeclis huius ſyſtematis, ſed gloriolae parandae cauſſa, paululum deflectit de via magiſtri regia. Ex eius libello *de febribus* patet, eum numquam legiſſe claſſicos medicos, vel ſi quos legerit, non intellexiſſe. Si vero et legit, et intellexit, et nihiloſecius progreditur alia via, ſuo modo rem ab vna tantum parte conſiderando, aliorum opinionem confundendo, ſententiam pro libitu mutando, et ita vnam tantum ſententiam ſuae contrariam aſſumendo, vt habeat, quod culpet, malus mihi ductor et auctor habendus eſſe videtur. Robertson igitur poſtquam probare ſtuduit, omnes medicos ab Hippocrate vsque ad minimum apothecarium Anglicum, excepto ſe et doctore Millar, febris naturam et formam

 igno-

ignoraſſe, febrem crediſſe morbum eſſe ſthenicum, ſequentem producit definitionem, vt contrarium probatum iret.

„*Febris eſt imminutio energiae iſtius, quam ſapientia divina cuilibet dedit homini ad totius corporis aequilibrium ſeu ſtatum ſanum tuendum.*" —

Haec definitio, modo hoc nomine digna eſt, fructus eſt praxeos triginta annorum in Europa, Africa, America et in oceano his terris interiacente comparatae! Ecquis audeat tali tantoque practico refragari? Iam de hac energia ſeu vi vitali, vt vocant alii, paucis agamus. Multa de hac libris prodita ſunt. Plenae ſunt omnes paginae nouorum ſcriptorum, neque vero dicunt, quae ſit haec vis, cui, tanquam effectrici, omnia tribuunt? Sunt, qui vim iſtam definiri non poſſe contendant, ideoque, vt Logici loquuntur, obſcurum per aeque obſcurum explicant. Hi vero philoſophorum diviſione corporis et facultatis innituntur. Sed quo iure? Corpus, talem effectum habens in aliud, talem habet vim ſeu facultatem in illud, minime vero cauſſam cum effectu confundo. Vis etiam cauſſis producitur, niſi ſit haec vis quaedam qualitas, omnis materiae expers vel proprio principio conſtans, quod chemici ſimplex ſeu incompoſitum nominant.

Om-

Omnes qualitates, quae his non insunt, compositionis vel conformationis effectus sunt. Quum igitur corpus definitur, vis eius etiam insita definitur, quia vis numquam sine materia seu subiecto, ut vocant hodierni, cogitari potest, nec materia sine facultate, sed vtraque eandem efficit substantiam.

Quonam ergo modo distinguendum est corpus organicum ab inorganico? Omne, quod videmus, mixtio chemica peculiaris et constructio partium propria est, et hinc, quum corpus organicum ab inorganico differentem habet effectum, caussa proxima in mixtione et structura vnice quaerenda est.

Corpus organicum seu vicuum fibris proprie mixtis constructum est; quae fibrae ad contactum corporis heterogenei densantur seu contrahuntur, quam facultatem *irritabilitatem* vocant, ego vero, quum nullam aliam potentiorem actionem inuenimus in corpore viuo, *vim uitalem.* Caeterae enim actiones partim ad hanc primariam reduci possunt, partim ad animam, qualitates nempe non a structura visibili et mixtione derivandae, sensibilitas, e. g. facultas, quae est animi, cuius actio ab irritabilitate siue vi vitali, ceu caussa occasionali, pendet.

 Ar-

Argumenta, omnium corporis fibrarum irritabilitatem probantia, in libello amici invenientur, ideoque hic praetermittenda ſunt, ſimul cum compluribus aliis, vim vitalem fluido ineſſe non poſſe, quod vero ſatis iam ex notione vis vitalis poſita patet.

Vis itaque vitalis, irritabilitas, idem eſt, quod *organismus*, nihilque, niſi quaedam facultas materiae peculiariter conſtructae.

Sed ſtructura corporis eadem atque mixtione eadem non tamen corpus activum eſt, ſed mortuum vel quaſi in ſtatu adynamiae et aſphyxiae. Nonne hoc in vi vitali deficiente quaerendum eſt? Iam ante vim vitalem cum irritabilitate eandem eſſe cenſui, et hinc agere non poteſt corpus, deficiente ſtimulo ſeu irritamento proportioni conſentaneo, quod cieat actionem huius virtutis. Sed et impedimentum mechanicum actionem ſupprimere poteſt. Vim igitur deeſſe non probatur actione non viſa.

Quum vero ſolito minorem videamus corporis actionem, nonne hoc ſignum minutae vis eſt? Non hercle! Nam ſtimulus iuſto minor minus etiam ſtimulabit corpus, et huius actio minor quidem erit, nec vero vis ipſa.

Si

Si autem actionem adſpicimus et aeſtimamus vehementiorem, nonne hoc teſtatur, vim vitalem praeter modum adauctam eſſe? Mixtio et conſtructio partium praeter modum augeri nequit, ſed ſtimulus vehementiſſimus gignere ac proferre debet vehementiſſimam corporis reactionem.

Nullis ergo vitiis vis vitalis peccat? Peccat vtique. Nam ſi omnia ad ſtimulum reduceremus, redeundum eſſet ad ſyſtema humorale, non minus tenue ac mancum, ac illorum ſyſtema eſt, quibus vis vitalis ſola ſufficit. Digreſſiones ab inſtituto videmus ſequentes.

I. Vitium mixtionis ſeu chemicum.

1. Rigiditas praeternaturalis.
2. Laxitas praeternaturalis.
3. Anomalia partium conſtitutivarum.

II. Vitium conſtructionis ſeu mechanicum.

1. Fabrica morboſa.
2. Deſtructio partium nobiliorum.

III. Vitium habitus.

1. Habitus vitioſus organorum per ſe

2. Actio habitualis vitiofa in animum.

(Haec fpecies vitiorum duae certe inaequali laxitatis et rigiditatis diftributione, ficuti ftimulorum organis praefinitorum, fundatae funt).

Quibus praemiffis, iam redeundum mihi eft ad propofitam cauffae proximae febris difquifitionem. Quid ergo eft febris? Imminutio energiae vitalis, ut ait Robertson: Et quid tunc? Rigiditas praeternaturalis, an laxitas iufto maior? Vterque certe ftatus imminutio vis vitalis dicendus eft. An anomalia conftituentium corporis partium? Probari hoc nequit. Num vitium mechanicum? Tunc ventriculus dilatatus, aut hernia, aut deformatio partis alicuius febris effet, Omnes hos ftatus non effe febres, oculi probant, et tamen funt imminutiones energiae vitalis. Eftne febris anomalia actionis habitualis? Habitus vitiofus imminutio vis vitalis non eft: Nam maniacus, hypochondriacus, epilepticus aliique aegroti faepius magnam energiae vitalis molem poffident, neque vero epilepfia febris eft, neque mania, nec enurefis etc.

Recte

Recte ergo ſentit Robertson, ſi febrem adauctum vis vitalis non appellat. Nam mixtio et ſtructura augeri nullo modo poteſt, et hinc nullus morbus ſthenicus ſtatuendus erit, ſed morbus in ſthenico. — Quilibet morbus vnum quemque aggredi poteſt hominem, tam ſthenicum, quam aſthenicum, num etiam febris? Quum febris ſit imminutio virium, tunc minutiſſima vis et maximus febris gradus eſſe debet, et hoc numquam invenitur, nec inventum eſt, quid? quod contrarium in aprico eſt, Nihil facilius eſt exſtinctione febris per vis vitalis deletionem, fame e. g. quae certe non roborat, aut timore febrem habenti intermittentem iniecto, quo etiam vis vitalis non augetur, hominesque viribus privati raro febre laborant, et imminutione energiae febris intermittens imminuitur, vti videmus in febrium typo retardante. Num delirium vehemens, num phrenitis monſtrat, energiam vitalem eſſe laeſam et imminutam? Tamen febre laborant delirantes, febre laborant phrenitici. Debilitas vis vitalis, febrem aliquam ſequens, non cauſſa, ſed effectus eſt. Nam ante febris eruptionem, ante febris paroxismos ſingulos ſanus erat homo, nec viribus orbus.

Robertson hanc energiam a deo optimo maximo ad aequilibrium ſeu ſtatum corporis

poris ſanum tuendum datam eſſe cenſet. Eſtne hoc legibus logicis congruum? Miror enim, cur haec natura medicatrix, ad ſtimulum reſpectu non habito, tam proterue agat et praepoſtere, vt temere creſcat, quum creſcere nefas ſit, et diſpareat, quum opus eſſet ope? Iam paullo minus, (ut in inflammationibus) iam paullo copioſius adeſſet; (ut in morbis patridis et a debilitate pendentibus) et ſalus interrupta non fuiſſet, et, ſi fuiſſet, felicius reſtaurata?

Riſum mouerent tales ſchismatici, ut eſt Robertson, niſi contumeliis et ſententiarum depravationibus dignitatem ingeniumque virorum aliter opinantium aliter et magis videntium temere ac audenter polluere conarentur. —

Sed quid potuit dare anſam Robertsonio, vt febrem vim imminutam appellaret? Aliqua certe fallacia in experiundo eum fefellit. Nam credi nequit, hominem tali fiducia mentiri potuiſſe, ſine refutationis timore. —

Nullam febrem ille vidit, niſi febrem ſic dictam putridam, vel cum putrida complicatam. Omnes eius obſervationes factae ſunt in noſocomiis, in navibus, in terris, vbi cauſſae occaſionales febri-

nm

um putridarum quaſi congeſtae et concentratae ſunt, vbi morbus quilibet cum imminutione virium eſt, et hinc auctor nihil videre potuit niſi, quod confirmatre hypotheſin ſuam. Huc ſpectant aer humidus, aeſtus et frigus, ſibi per vices momentaneas ſuccedentes, imparitas veſtitus, et durities vitae generis, nutrimenta inſalubria, aqua ſemiputreſcens et foetida, conſociatio hominum multorum in navis caverna, tremor, timor, deſiderium, quibus alleuatio et ſpes non datur. Curandi methodus in eo verſatur, vt ſordes gaſtricae ſpirituoſis, cortice chinae, opio et V. S. etiam, ſi fas eſt credere Robertsonio, expellantur. Haec omnia an quid aliud proferre poſſunt, niſi febrem putridam?

Si nullae aliae febres in hominum genus ſaeuirent, niſi haec, quam vidit Robertson, maximo iure methodum increpare poſſet antiphlogiſticam. Nam haec methodus in morbis putridis vel complicatis cum putredine, vel cum virium defectu, vel etiam reactionis imminutione, inſanienti tantum medico adhibenda videretur. Sin vero medici Anglici hac methodo in his febribus vſi ſint, vti Rocertsonii ex dictis colligitur, nihil magni expectandum eſt in poſterum ab eorum ſcientia. Ego vero credo, illum,

vt

vt fas erat et probo viro dignum, non veritatem quaeſiviſſe, ſed vt videretur aliorum exemplis probaſſe opinionem ſuam.

Sufficit mihi, quam fieri poterat breviſſime, monſtraſſe imminutionem vitalis energiae febrem non eſſe. Theſes Robebtsonii, quae hac de re ſuperſunt, ſatis ſuperque teſtantur ipſi in mente nihil fuiſſe, niſi febrem putridam.

„*Febris eſt morbus idiopathicus — ab omnibus aliis plane diſcrepans, charactere ſpecifico et nomine generico, infectio febrilis.*"

Ita Robertson, et ego laudem illi promeritam denegare non poſſum, quod vituperet theoreticos rei medicae ſcriptores, qui non ipſi oculis ſuis viderant, quae ſcripſerunt, quum ille ipſe non intellexit, quae alii ſcripſerint vel contenderint, ſed graeca non intelliguntur, inprimis mere practico, qualem ſe eſſe confitetur ingenue et aperte Quid ergo idiopathicum? — Sed quis eſt febris character ſpecificus? — *Infectio*! Tunc vero ſyphilis etiam febris eſſet, nec febris vulneraria et oſcitatio febris eſſet, nec febris puerpararum etc. Quis vnquam vir, adſtans lectulo puerperae, febre puerperarum affectus et infectus eſt?

Quis

Quis vmquam febrem vulnerariam contagiosam vidit, quis nervosam puram, quis inflammatoriam simplicem? Non e quidem ignoro vnicam tantum febris speciem ROBERTSONVM statuere, sed vnde venit, quod ipse aliquo libelli sui loco dicat, non acturus sum de ea febre, quae vt in pleuritide et gastritide ex statu inflammatorio originem trahit? Certe hoc non intelligo, jamque poenitet me temporis, in refutando homine sibi ipsi obloquente temere consumti.

Nullus dici potest morbus contagiosus, qui nec per materiam aliquam impertitam, nec per animae imaginationem eundem in altero procreat morbum corpore. Quo igitur modo debilitas debilitatem gignere potest in corpore alio, cum nihil sit, nisi qualitas? Num corpus diaphanum lapidem achatem translucentem reddere possit? Per se debilitas vitalis non contagiosa est, sicut per se existere non potest. Omni modo ad stimulum redeundum est, quum etiam ad animae imaginationem respectus haberi non potest, qua inscia, nihilominus contagium fit, quae si etiam agit per imaginationem, non debilitatem, sed modum reagendi vitiosum proferre potest. Debilitas hanc sequens anomaliam aut nutritioni turbatae, aut aequilibrio inter

ter ſtimulum ac irritabilitatem ſublato tribuenda videtur.

Stimulus ſiue irritamentum quodcunque febrem profert, vt quemlibet morbum alium. Sine hoc nunquam morbus erupturus eſt, etſi diſpoſitio adſit, quae tamen magnum eſt agens in morborum ortu, vti videmus in variolis, morbillis etc. Debilitas illa non eſt febris diſpoſitio, vt probatur eo, quod videamus ſthenicos febrem habentes, et ſi ſic eſſet, ſine ſtimulo praeternaturali nec febris, nec alius morbus oritur.

Qualitas omnium febris ſpecierum contagioſa nondum probata eſt, febris autem putrida plus minusve contagioſa eſt, omnibus (hoc certe ſcimus) anni temporibus, omnibus terrae habitabilis plagis, omnibus annis communis, nec genera ſpeciesque febris, ſcriptoribus medicis obſeruatae, et per mille annorum ſpatia in ſcholis (non ſine fructu) traditae commenta ſunt, nec fallacia, nec temere aſſumta, nec in praxi inutilia, nec obſervationi contraria: Haec tamen omnia affirmare impudenter conatur Robertson.

Febrem non ſemper eamdem eſſe, cauſſis probatur occaſionalibus, diſponen-

nentibus, ſymptomatibus, medicamentis.

Cortex Peruvianus, hoc remedium omnipotens ſcilicet, nihil valet contra bilem, nihil contra icterum febrilem, nihil contra rheumatismum acutum, nihil contra febrem intermittentem, immunibus primis viis, nihil contra febrem verminoſam, niſi quod ſimplices has febres transmutaturus ſit in putridas.

Symptomata, immane, quantum discrepantia ſunt, et febris putrida ab intermittente facile diſtinguenda, Sic et peſtis ab intermittente, etiamſi ac cauſſas, non reſpicimus. Intermittentis febris cum putrida non complicatae qualitas contagioſa non ſatis probata eſt. Peſtis, vti contendunt, numquam per ſe oritur, ſed per contagium. Febris putrida et per ſe, et per contagium exiſtit.

Cauſſae ſua natura non eaedem eundem morbum gignere non poſſunt, et oportet medicum, vt removeat cauſſas, minime vero ſymptomata, licet ſint aſpectu et forma eadem, quae vero talia intrinſecus non eſſe manifeſtum eſt. Omnis hinc medicina vertitur in aequilibrio, inter vim vitalem et irritamentum reſtituendo.

endo. Quum hoc eſt praeternaturale aliquid, removendum eſt, quum peccat reactio, aut cienda eſt, aut ſopienda, quum impedimento quodam actio ſuppreſſa eſt, remotione impedimenti reſtituatur, quum praeter modum rigida fibra eſt, relaxanda, quum laxior aequo eſt, conſtringenda ex arte eſt etc.

At vero febris differentia ab individui natura, aetate, etc. differente quam maxime pendet. Hoc verum eſt: Nam refrigerium in hoc rheumatismum acutum, in alio dyſenteriam, vel hepatitidem, vel febrem gaſtricam, vel pleuritidem etc. producere poteſt. Num vero hinc ſequitur, pleuritidem eumdem eſſe morbum, ac dyſenteriam, febrem putridam, rheumatismum, atque iisdem remediis ſanandam eſſe? Non ita videtur.

Sed deſino disputare cum Robertsonio, addens tantum hoc vnum, medicos eſſe, nec illi, nec Brvnoni aſſentientes, qui cortice peruviano in febribus, cum debilitate vitali copulatis, remotis vero prius noxiis partibus, perbene vterentur, et iam revertor ad *cauſſae febris proximae* disquiſitionem.

Sine ſtimulo actio vitalis fieri nequit, ſine ſtimulo praeternaturali vel naturali etiam

etiam, ſed proportioni non ſatis congruo, nullus datur morbus. Hic ſtimulus longe differens eſſe poteſt, ſed ſufficit claſſificatio ſequens:

I. *Irritamenta chemica.* His omnes miasmatum ſpecies, omnes ſecretiones noxiae, innoxiae etiam, ſed loco inſolito factae, omnes particulae heterogeneae annumerandae ſunt, vt acida, alcalina, venena metallica et vegetabilia, vinum in abſtemii ventriculo etc. itemquantitas nimia ſingulorum principiorum, vt calorici, oxygenii, ferri etc.

II. *Irritamenta mechanica.* Huc pertinent corpora quaeuis dura et corrodentia, compreſſiones, vulnera, plethora, organorum ſympathia, vel per actionem propriam, vel per actionem ſenſorii, diſturbatio relationis organorum conſtructiuae et tonicae.

III. *Irritamenta animalia.* Duplex hoc irritamentum eſt
a. Senſualitatis et
b. Voluntatis.

Alia diviſio ſequens eſt.

I. *Irritamenta universalia.*

II. *Irritamenta topica.*

Actio vis vitalis in ſtimulum, quicumque ſit, contractio eſt. Sin vero non contrahit ſe fibra, aut ſtimulus deeſt, aut iuſto minor eſt, aut fibra non eſt in ſtatu phyſiologico poſita, et vel rigida, vel laxa, vel imperfecte mixta, vel habitus reagendi deeſt. Haec omnia *torpore* complectimur, quum contrahitur vehementius, aut ſtimulus vehementior aut habitus actionis eſt.

Fieri poteſt hinc, vt morbifica adſit cauſſa, nec tamen morbus oriatur, ſi quando ineſt haec cauſſa parti torpidae, et hinc certus reactionis gradus neceſſarius eſt ad morbum conſtituendum. Ita et febris, quum morbus iam adeſt, ſpecificam reactionis gradum requirit, quo conſtituatur, eumque maiorem, quam morbus per ſe, vti videmus in remiſſionibus, et intermiſſionibus, et paroxysmis tunc redeuntibus, quam vires reſtauratae, perdurante etiam morbo ipſo.

Nullus huc vsque morbus inventus eſt, cui ſocia febris eſſe non poſſit, idque ſequente modo, vt ego credo, efficitur.

Quod-

Quodlibet irritamentum, vel topicum, vel vniverſale, contractionem quandam efficit, organicae fibrae praeternaturale contractionem praeternaturalem ſeu dolorem animae, vel tantum ſenſum moleſtum. Senſorium in totum reagit nervorum ſyſtema, adaugetque reactionem in ſtimulum; (Nam duo certe ſtimuli magis valent, ac vnus). Hoc nihil eſt, niſi niſus animae removendi ſtimulum praeternaturalem, adaucta ipſa contractione, et hinc non vis vitalis vis naturae medicatrix eſt, ſed anima, quoad ſentit et fortiter reagit. Hic ſtatus *febris* dicitur, nihilque eſt, niſi *ſpasmus vniverſalis*, ad excludendum irritamentum morboſum.

Negari non poteſt, ſenſorium ſiue animam cauſſam efficientem febrium et ſpaſmorum eſſe, etſi cum oppreſſione ſyſtematis ſtahliani et animae in corpus influxus magximopere a medicis limitatus eſt, ſed tamen non plane exſtinctus, vti animadvertimus in animi pathematibus, in ira e. g. timore, deliriis etc. Dici poteſt, inſcia et invita anima febrem fieri, ſed quid hoc? Invita et inſcia anima fit enureſis, ſomnambulismus, epilepſia, omnisque convulſio, tamen ab anima afficiuntur omnes. Anima involuntarie cum corpore organico coniuncta actionibus etiam ſubiecta eſt, a voluntate

non pendentibus, quas *ſenſualitatem* vocare auſim, ſive facultatem reagendi in nervum, cuius effectus nervo irritamentum eſt, et ipſi animae ſenſus. — Senſus et reactio eadem animi eſt actio, nec differens quoad tempus, nec per ſe. Sentiendo anima reagit in nervos, non ſentientes per ſe, ſed irritabiles mere ſeu vivos i. e. ſuſceptibiles. Voluntariae actiones non a ſenſualitate proficiſcuntur, ſed a voluntate, quae differens eſt facultas animi, quamquam pendens iterum a ſenſualitatis actione aucta, et agens per organa ſpecialia.

Animam magnas in febribus agere partes, eo potiſſimum probatur, quod poſſimus curare febre aegrotos remediis ſaepe numero tantum ſympatheticis, vel rectius imaginatoriis, per ſiduciam et ſpem euadendi e. g. quam ciere ſtudent, per terrorem etiam, et quae ſunt id genus alia. Omnibus morbis actio ſenſorii plus minusve complicata eſt, cur non hic etiam? Per ſe quoque anima, nullis adiuvantibus ſtimulis, nec chemicis, nec mechanicis; febrem creare poteſt. Cur narcoticis vtimur et antiſpaſmodicis, quum membrum aliquod amputandum eſt, niſi quod avertamus febrem?

Quum

Quum ſenſualitas illa eſt facultas animae, qua ſentit et reagit, non dubium eſt, quin illa etiam ſit mater ſpaſmorum.

Ex his ſymptomata, quibus hyſtericae anguntur, facile explicanda ſunt. Vnus ex meis familiaribus aſthmate valde cruciatus, quum vigilaret, dormiens tamen reſpirationem facillimam habuit, vti ſcio ex obſervatione propria et autopſia. Quomodo hoc explicandum eſſet, niſi per ſpaſmum, ex ſenſualitate orientem? Pulmonibus ſanis, ſed laxioribus iuſto, viscerum infarctibus aeger laborabat. Hi vero, quum dormiret, ſenſualitatem non excitavere, ſed ſimulac expergefactus eſſet, ſenſualitas in totum reagit nervorum ſyſtema, et partes laxiores ad conſtringendum redigit i. e. et pulmones.

Documenta, *ſpaſmum univerſalem cauſſam proximam febris* eſſe ſequentia ſunt:

1. *Cauſſae occaſionales.* Omnis actio corporis contractio eſt velutique reniſus contra ſtimulos. Qui quum ſint fixi, nec intermittentes, etiam contractio non intermittens, ſed fixa erit i. e. ſpaſmus.

2. *Symptomata:* Frigus et pallor periphericus a ſanguine, ſpaſmodica vaſorum conſtrictione retropulſo, durities muſculorum, diaphoreſis impedita, ſenſus peculiaris a ſpaſmo nervis cutaneis inherente, pulſus ſanguinis alteratus.

3. Docent *remedia;* Antiſpaſtica ſpaſmum minuunt, tolluntque febris paroxismos.

4. Explicatio facilis ſymptomatum omnis per ſpaſmum, quae eſt ſequens, vt cenſeo.

Cauſſa occaſionalis febris irritamentum qualecumque eſt, aut vniverſale, vt plethora vera et ſpuria, humorum anomalia etc. aut partiale, quum ſtimulus tantum vnam occupat partem, et de hinc ſenſualitatis actionem excitat, vt vulnus, ſordes primarum viarum, etc. Hoc ſtimulo pars illa, cui ineſt, irritatur et actu contrahitur. Hoc ſtimulo immobili nec intermittente, immobilis etiam contractio erit. Hic ſtatus *ſpaſmus* eſt, maioreque gradu *inflammatio.* Senſualitas excitatur, et contractio augetur. Hoc primo in vaſorum ſyſtemate animadvertitur.

Quid

Quid, quaeſo, tranſpirationem opprimere poſſet, quo cutis arida redditur, quam conſtrictio vaſorum exhalantium?

Pallor periphericus, praeſertim faciei, vnde ille eſt, niſi ex ſpaſtica conſtrictione vaſorum eſt? Arteria carotis quidem ad caput ſanguinem mittere non deſinit, ſed minorem ob ſpaſmos copiam. Muſculis contractis omnibus, ſanguis per arterias ad externas partes vehi non poteſt, ſed eo vehementius venae muſculis preſſae ſanguinem ad interiora reducunt, et hinc frigus oritur, quum ſanguis externas calefacere partes deſinit. Sanguis in cordis ventriculis accumulatur, cor ergo vehementius irritatur, ſeque fortiter contrahit, pulſusque arteriarum reſiſtentium frequens, durus parvusque eſt. Sed ob ſpaſmodicam cordis ipſius conſtrictionem moles ſanguinis in pulmonibus exoritur maior, quam vt corde ſubigi ac vinci poſſit, et hinc reſpiratio difficilis, anxietasque ob preſſionem nervorum refluxumque ſanguinis a capite impeditum.

Frigus eſt ſenſus animae a denſatione fibrarum, tam a calorico deficiente, (frigus ad thermometrum) quam a ſpaſmo ipſo (frigus ad ſenſum). Sub principio frigus ad ſenſum eſt, poſtea ad thermome-

metrum, ex ſanguinis in corporis ſuperficie extremitatibusque defectu.

Per impeditam etiam reſpirationem calorici in corpore quantitas minui videtur.

Pandiculatio et oscitatio ex niſu oriuntur voluntatis, ſpaſticam amoliri partium conſtrictionem fluidorumque turbantem functiones, ſtagnationem et incarcerationem.

Sanguis partes petit minus reſiſtentes, praeſertim pulmones, quo reſpiratio fit difficilis, cerebrum, quo organorum animi functiones alacriores redduntur, et hinc intelligitur, cur phlegmaticus ſtupidusque verſiculos componere aptus ſit, cur vetala ſermones eccleſiaſticos habere audeat etc. Maiori vero accumulationis gradu deliria inſequuntur completa, et quum reſiſtentia fibrarum magna eſt, furioſa, ſi imminuta, taciturna et blanda, ſub maximo vero congeſtionis gradu ſopor et ſtupor, et apoplexia clauſulam faciunt.

Sed omnem conſtrictionem aequalis ſequitur relaxatio, ſive ex mixtione fibrarum alterata, ſive ex materiae detrimento, ſive ex habitu ſeu conſuetudine, ſive

ex

et praevalefcentia ftimuli. Nam iufto maior ftimulorum vis fibrarum totam actionem opprimere poteft, five ex delaffatione fenfualitatis, five ex concentrata fenfualitatis, voluntatis etiam, actione in partes maxime afflictas, vt funt pulmones. Ita actio in alias imminuitur partes, et fpafmus vniverfalis tollitur, mereque topicus fit. Cor duplicat hinc actionem fuam, vehementiaque fanguis, qui pulmonibus ineft, per arterias deportatur, calor difpergitur in totum corpus, aeftusque, qui ex aucta frictione fanguinis exoritur, et ex fpafmo delaffante. Antea fenfualitate irritabantur vafa, iam a mechanico fanguinis ftimulo agitantur, novo hinc fpafmo vafa exhalantia conftringuntur, quod vafa maiora ob fanguinis molem facere non poterant, et hinc fanguis ftagnat in peripheria cutanea, quo quidem calor auctus fit, et ardor, et diaphorefis interrupta redit.

Sed haec accumulatio certum modo poteft attingere cacumen. Vafa fecernentia relaxantur, et criticum inftat ftadium. Sudores incidunt, vafa fupra modum expanfa fanguinem emittunt, refiftere non amplius apta, exiftunt haemorrhagiae etc.

In ſtadio caloris reſpiratio non ita diffi-cilis eſt, ac in ſtadio frigoris, ſed deliria continuant omniaque ſymptomata capi-tis, quibus vero aeſtus ruborque exter-nus ſuperaccedunt, quum ſanguis ma-iore vi ad caput pellitur, vaſis non conſtrictis.

In ſtadio frigoris ſenſualitas activa erat, in ſtadio caloris paſſiva, totaque actio ab irritamento et vi vitali pendet. Iam vero omnino delaſſat, partim per totam ſenſualitatis delaſſationem, partim per mutatam fibrae mixtionem, partim per materiae detrimentum, partim per irritamenti amolitionem, debilitasque totius corporis manifeſta eſt; functiones organorum ſecernentium turbatae ſunt, hinc ſecreta vitioſa. Haec, ſi copia ſuf-ficiens eſt, rurſus irritant nervos interea roboratos, et novus oritur ſpaſmus uni-verſalis, ſive febris paroxyſmus, et hinc in reſtauratione virium ac in ſecretione perverſa intermiſſiones et typi febris fun-dati ſunt.

Remittentes febres ſemper ex ſangui-nis plethora vel perverſitate gignuntur, quamlibet topica cauſſa anſam praebu-erit.

Sed

Sed haec, cum vberiorem diſputationem requirant, ad ſcopum non tendunt meum, quum indagatio cauſſae proximae febris in genere vnice mihi propoſita erat. Quam quidem probaui, vt potui. Quam bene ac recte, viderint alii. Neque volui paucis pagellis comprehendere, quae in vtramque partem dici poſſint. In magnis etiam voluiſſe ſat eſt!